Eu. Siaclr

Rever. praestantissime ac amiciss.e vir.

Excurrunt ad vos alumni vestri, qui per biennium nunc, & quod excedat, apud nos commorant. Nolui ipsos sine literis dimittere: etsi non vacat ad tuas respondere. Exercet me negotium grave, viduae affinis mei, Henr. Ernii, pastoris Altostettensis, qui integrum abhinc annum in patriam coelestem evocatus est, relictis novem orphanis, quorum cura & educatio magnam partem mihi incumbet. Periclitatur nunc viduae instrumentum aliquod, quod sexcentorum est florenorum. Scribo ejus rei causa ad fratrem viduae, qui Wöspaci prope Constantiam fortunarum suarum sedem habet. Et quoniam periculum in mora videtur esse, cupio actutum has ad Morellium directas genero meo Altonoviano per propriu hominem afferri, ne detrimentum aliquod optima vidua accipiat. Sumptus ego de mea dissolvam crumena. Ignosce quaeso, quod humeris tuis onus istoc impono. Non occurrit commodior ratio, quam ista. Tabellarii heri jam abierant, cum mihi Morellii literae sunt exhibitae. Exscribenda fuerunt, quae appignoraruit in illo instrumento, quae integrum complevere folium. Cetera gener meus curabit. Lubentissime adjecissem exemplum instrumenti illius decisorii, Basil. & Abbatiscell. arbitrorum, quod a me petiisti. Sed profecto nullum potui nancisci. Omnia exempla sunt penes Archigrammateum: qui non audet ullum amplius, ita volente amplissimo magistratu, cum quoquam communicare ante Thermopolitana comitia. Nescio quis metus exacerbationis Quinquepagicorum animos invaserit. Si meum exemplum ad manum fuisset, id ipsum misissem. Nunc a Vitoduro est apud Mejerum nostrum, qui nondum remisit. Cogor abrumpere filum. Proxime tum dabo prolixius. Frater Dn. Hottingerus sequente septimana Heidelbergam redibit. Ivatus est Zollikofero, quod tantum non illuserit Ser. Electoris, cui sitem jam dederit de provincia Ecclesiastica Weinheimensi acceptanda. Sed de hac re alias. Nostis durus Lokini & quam anxie perierit. Res. in regnum denuo vertitur. & est, ubi rerum omnium facies mutatur, Resp. in regnum denuo vertitur. Vale, vir amiciss.e. Saluta vener. Dn. Decanum & reliquos Dnos. collegas.

Tig. raptissime, 25. April. 57.

Tuiss.

Ulrichius.

Reverendo & clarissimo V.
Dn. Sebastiano Höggero,
Eccl. Sangall. Ministro
& Scholae Rectori vigilantissimo
Dno. fratri in Christo &
amico colendo.

Sangall.

109 | 115

S. P.

Perlatus est tandem ad me, Praestantiss[e] ac amiciss[e] Vir,
Dannhawerus; maledicum illud os Argentinense. Percurri
hinc inde scriptum, quo castris Israëlis horrendum in modum
~~modum~~ maledicit. Crambē millies coctam recoquit,
statum controversiarum ubiq[ue] Ubiquista malitiosissimé per-
vertit, Ecclesiis nostris per summam nequitiam affingit,
quae nunq[uam] senserunt, docuerunt, scripserunt: ut cum
scribere non verea[tur], cardine versari in his, Sitne Deus bonus,
omnipotens, ein all- oder halb-barmhertziger Vatter?
ob das Völker der ungnugsam begabten, allein-leidende
Menschheit ein unendliches gleichgiltiges Kantzios seÿ? ob
Christi persohn ein einige od[er] zweÿfache persohn seÿ? Etc.
pag. 452. in dial. Luciani in modu[m] coloquii hec habent:
Beweise — daß Christus der Gott-mann diese mit sei-
nem (bloß-menschlichen, ungenugsamen, außgerüstetem,
nicht-gleichgültig) Blut erlöst habe können. Etc.
Increpet te Deus Satan. Non talentum merear, si quis
offerret ut cacatissimum & Satanicum hoc scriptum percur-
ram. Redibit igitur proximé ad dominum suum iste pi-
nicida. Quid Abbas vester parturiat, & armi-
lustrium, quod per omnem
ditionem suam instituit. Papatistae Toggii sudes dicuntur
parare ferreis aculeis refertas: Nostris aute[m] ibi loco-
rum nec arma imperantur, nec quicq[uam] significat[ur]. Quin cum
Quinqpagicis bellum clam paret, nullus dubito. Agitur
heic vestra quoq[ue] res, & Evangelicorum Abbatiscellanorum.
Somnum profecto hoc ex oculis nostris excutere debet, ut
adversus clandestinas has machinationes vicissim nos pare-
mus, ne ex improviso, nil tale opinantes, nos adoriantur
irreparabili nro damno. Certé secundo Cappellano bello
hac via incessêre, nostris tum stertentibus. Quantum inde
damnorum ad Remp. nram & Ecclesias orthodoxas redun-
dârit, qui non videt, Tiresia caeciorem esse oportet.
Custos ille Israëlis ipse pro nobis vigilet, & oculos nobis ape-
riat. Vale, Vir amiciss[e], & vener. Dn. Decanum reliquosq[ue]
Dnn. Symmystas officiosa salute meis imperti verbis.
Tig. 25. Julii 1657.

T. T.

Joh. Wirtzius.

Rever. praestantiss[o] q[ue] Viro
Dn[o] Sebastiano Hoeggero,
Ecclesiae Sangallensis Mini-
stro, & Scholae Rectori vigi-
lantissimo, amico plan-
num colendo.

Sangallum.

1670.